Quelle: http://manuscripta.at/?ID=26345
Copyright: Admont, Benediktinerstift

Cum autem uenerunt ad fratres in claustro sedentes· inclines incedunt·
et fratres eas transeuntibus simul tamen inclines aliquantulum assurgunt·
Peruenientes cum ipso presbytero in chorum ad gradum· tunc dicunt dominicam
orationem· V Et ueniat super nos· Collecta· Dominus uobiscum· Actiones
nostras quesumus domine· Dominus uobiscum· Benedicamus domino· Totum consueta clauditur
inclinatione· Sed sciendum quod sacerdos ebdomadarius· misse· et ministrique·
lector· et cum semel refecti fuerint· ebdomadarium coquine ad hoc mandatum
numquam notantur· Presbyter uero etiam ab officio suo suspensus· sic et dia
conus possit hoc facere mandatum in sacerdotis loco· Conuersus
qui cum presbytero· aut diacono et alio litterato hoc facturus est
mandatum· in secundo loco si tamen ordo suus exigit· notari debet·

EXPLICIT LIBER PRIMUS

WILLEHELMI PATRIS. DEDIT HEC QUI DOGMATA NOBIS.
REDDE DEUS MERITIS. UT EI SIT VITA PERENNIS.

Incipit prefatio in secundum librum.

QUIA IN SUPERIORIS LIBRI DESCRIPTIONE
primum de nouitiorum disciplina ac de reliquis
consuetudinis nostre institutis· maxime infra claus
tri limitem cottidie agendis· regulam dedimus· nunc
restat de singulis singulorum obedientiis foris et interius quod necessa
rius in secundum librum distinguimus· Et quia omnis obe
dientie nostre caput et magistrum utpote Christi uice po
situm abbatem credimus· ipsum inbui uolumus exordio
de electionis eius diligentia· ac de impendenda electo reuerentia
locuturi preponimus·